



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab initio Pontificatus usque ad
Annum 1746

Luxemburgi, 1752

LIV. Pro Missionis Apostolicæ fundatione in Regno Bittià in Magno Thibet.
1. Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74696)

serenum reperiat, & cum assistentia alterius Presbyteri, seu Diaconi, fiat, ita ut periculum effusionis sanguinis in dicta celebratione minime adsit, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Data die 28. Apr. 1742.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxviii. Aprilis MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

LIII. Pro Institutione Apostolicae Missionis in Regno Batgao in magno Thibet.

Illustri, ac Potentissimo Regi Batgao.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Illustris, & Potentissime Rex, salutem, & Lumen Divinae gratiae.

Desiderium Regis habendi Missionarios.

A DILECTO Filio Vito Recinetenfi Ordinis S. Francisci Capuccinorum faustus nuntius ad Nos pervenit, optare Celsitudinem Tuam, ut aliquot ex ea Religiosa Familia isthuc ire, & in Regno tuo commorari jubeamus, qui Populos imperio tuo subiectos Christianam fidem edoceant, dirigantque in viam salutis aeternae, quae una à sapiente viro quaerenda est, & haberi in desiderio debet. Hinc enimvero cognovimus, Celsitudinem Tuam prudentissimi ingenii vi pollere, consiliique sagacitate. Cum enim Civium tuorum felicitas expetenda Tibi sit, maximeque curandum, ut eos tuae penitus voluntati obnoxios habeas, promptaque obedientia morigeros, aliam nullam in toto Orbe Terrarum Religionem invenies, quae Regibus eorumque Magistratibus majori severitate parere jubeat, quae implacabile magis bellum indicat vitis omnibus, unde humana Societas, velut pestifero veneno imbuta, quam maxime labefactatur. Huc siquidem spectant tradita Nobis à Supremo Caeli Terraeque Domino Nostrae Sanctissimae Religionis auctore, agenda vitae praecepta, servata utique diligenter.

Quod à Pontifice commendatur, exposita Christianae Disciplinae praesentia.

Missionis institutio conceditur.

Itaque pro Nostra in universum genus hominum caritate, pro tuaque in Missionarios Nostros benevolentia, libenter mandavimus, ut aliquot ex eodem Capuccinorum cœtu statim ad Vos iter arripiant, ferantque in vestras Orientis partes Divinae scientiae lumen, ac sternant Tuae Genti facilem munitamque viam ad Cœlestem Patriam, & ad gaudium sempiternum. Utinam verò ipse, qui Regio assensu permitis Missionariis Nostri, una commotis caritate, in id suo labore, sua pecunia, tantoque per Maris Terraeque immensa spatia vitae suae discrimine, sedulam navare operam, exemplo praere velis subdita Tibi Genti docilitatem. Nihil profecto Nobis jucundius, Tibi salubrius evenire posset. In huiusmodi spem Nos adducit data tuis literis fides, eosdem Missionarios Regiae auctoritatis praesidio sultum iri, & liberum fore, per tuum Regnum Christianam doctrinam palam praedicare, eamque amplecti nullo impedimento. Qua de re amplissimas Celsitudini Tuae agimus gratias, Deumque idcirco bonorum omnium Auctorem assiduo studio sollicite obsecrabimus, ut Tibi suo Numine propitius adsit, Teque omni cumulet prosperitate.

Et Regis Patrocinio commendatur.

Dat. die 1. Maji 1742.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Maji anni MDCCXLII, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

J. Vincentius Luccheseinus.

Pro Missionis Apostolicae Fundatione in Regno Birtia in magno Thibet.

LIV.

Illustri, ac Potentissimo Regi Birtia.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Illustris, & Potentissime Rex, salutem & Lumen Divinae gratiae.

LITERAE Celsitudinis Tuae, quas Dilectus Filius Vitus Recinetenfis e Sacro Franciscanorum Capuccinorum Ordine representandas Nobis curavit, mirifice exhilararunt animum nostrum, eumque Tibi summo opere obstrinxerunt. Dum enim postulas erudiri in Christiana Doctrina populos imperio tuo subiectos, atque idcirco apud Vos sub Regia protectione diversari Missionarios Capuccinos, ingenti Nos laetitia affectisti, quippe quibus, pro commissa humilitati nostrae Supremae Ecclesiae potestate, quam maxime cordi est, universum hominum genus aeternam consequi felicitatem; nec alter fieri possit, quam si Evangelica veritate imbuatur. Qua de re maximas Celsitudini Tuae gratias agimus, precamurque Deum Optimum Maximum, ut apertus abs Te ad Cives tuos ejusdem percipiendae veritatis aditus amplissimam Tibi tuoque Regno felicitatem afferat, eamque in primis, ut veritas ipsa pateat oculis sagacissimi animi tui. Nam intelliges, id unum sternere Tibi posse viam ad aeternam salutem, & nihil ad retinendos in imperio suaviter populos, & ad vitiorum illecebras expellendas magis conducere, ac Sacrosanciam Religionem Nostram, cujus inter praecipua praecepta illud est, ut Regibus, & Magistratibus eximio studio obediri debeat, & profusus pura mente, atque inviolatis naturae legibus vivendum sit, unde pax publica, quies, & honestum otium exurgit.

Missionis institutio a Rege per Literas expetita.

Christianae Legis praesentia.

Conceditur Missionis fundatio, eaque Regi commendatur.

Quod ut per tuam Ditionem feliciter eveniat, iussimus isthuc, ut rogas, degere aliquos Capuccinos Missionarios; ac Te auctore, tuoque Regio praesidio, in opus istud gravissimum omnes curas cogitationesque intendere. Nec dubitamus quin Celsitudo Tua ope, ac patrocinio foveat ipsorum labores, qui nullo rerum humanarum premio, sed una ardentissima erga Vos caritate, immensa propemodum terra marisque spatia emensi isthuc Evangelii Lucem diffundere susceperunt. Haec autem ut & Celsitudini Tuae fulgeat, & omni cumuleris prosperitate, vehementer cupimus atque ominamur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die prima Maji 1742. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 1. Maji 1742.

J. Vincentius Luccheseinus.

Declaratur quae fuerit mens Pontificis in Constitutionibus super Jejunio editis.

L V.

Venerabili Fratri, Andreae Archiepiscopo Valentiae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

COGNOVIMUS in Fraternitatis Tuae literis inveteratum Hispanae pietatis morem, cui semper solemne, & proprium fuit, explicandum proponere Apostolicae Sedi, quicquid obscuritatis ejus decreta habere videantur. Laudavimus autem Pastoralem sollicitudinem, qua sedare voluisti obortam inter aliquos

Recurfus Archiepiscopi ad Summum Pontificem.